



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Vtrum Eucharistiæ Sacramentum sit vnum Specie infirmâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

quodsi esset mera conditio, & applicatio, non requireretur certus Minister, & Sacerdos, imò pollet quis seipsum inungere, sicut potest sibi applicare Eucharistiam.

Urgebis cum quodam Recentiore. Saltém sumptio erit pars integralis, sicut est in Sacramento Pœnitentiæ satisfactio: ad hoc enim non requiritur, ut sit actio facta à Ministro aut nomine Christi. Ad hanc replicam, quam quidam ex

suo Magistro Hispano aliquando objecit, respondi, & iterum respondeo, negando paritatem. Quia Satisfactio ideo est pars integralis, quia subicit verbis absolutionis, & per ea significatur remissio pœnæ per satisfactionem obtinenda: at verò sumptio Eucharistiæ nullo modo significatur per hæc verba: *Hoc est Corpus meum.*

CAPVT II.

DE VNITATE ET NECESSITATE
EVCARISTIE.

CONTROVERSA I.

Utrum Eucharistia Sacramentum sit unum specie infimâ.

776. **Q**uestio est, utrum Eucharistia, prout sub utraque specie continetur, sit unum Sacramentum speciei infimæ, conflatum ex duobus partialibus Sacramentis, vel an sint duæ species infimæ totales, adeoque Sacramentum Eucharistiæ sit potius genus quàm species infima.

Dicendum, cum S. Thoma ceterisque Theologis, contra Aureolum, Sacramentum Eucharistiæ esse vnâ speciem infimam. Conclusionem expresseit Catechismus Pij V. his verbis. [Licet duo sint elementa, panis scilicet & vini, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum significatur, non tamen plura esse Sacramenta, sed vnum tantum, Ecclesiasticâ auctoritate confitemur.

Probatur Conclusio. Si essent duæ species totales & atomæ, jam darentur octo species Sacramentorum: hoc autem est contra Tridentinum sess. 7. can. 1. dicens. *Qui dixerit, Sacramenta novæ legis esse plura aut pauciora quàm scriptum est.* Minor probatur. Si Tridentinum non loqueretur de speciebus infimis, sed pro Eucharistia numeraret genus, tunc nullâ ratione dammandus esset, qui diceret, dari octo Sacramenta, loquens nimirum de speciebus infimis, & malè numeraret Concilium inter species infimas, dividendes genus Sacramenti, vnum genus tanquam membrum dividendis, præsertim quia ambæ species facile potuissent assignari.

Confirmatur. Nam hac ratione posset dici, esse tantum duo Sacramenta, hoc est, duo genera, vnum vivorum, alterum mortuorum.

777. Obicies 1. Eucharistia vocatur in Collectis Missarum Sacramenta in plurali: ut: *Purificent nos quæsumus Domine, Sacramenta quæ sum-*

psimus. R. Cum S. Thoma, Eucharistiam dici plura Sacramenta materialiter non formaliter: quia formaliter illæ duæ species complent vnum Convivium spirituale, & significationem refectio- nis spiritualis completæ, quæ non in solo cibo, aut solo potu, sed in utroque simul consistit. Est ergo Eucharistia vnum Sacramentum unitate formali seu Perfectionis, licet non unitate Elementi, seu materiali.

Obicies 2. Eucharistia ut contenta sub specie panis, differt specie ab Eucharistia ut contenta sub specie vini: ergo sunt duæ species infimæ. Probatur antecedens. Illud Sacramentum differt specie ab altero, quod significat & causât gratiam diversam Sacramentalem in ordine ad diversa auxilia, ut superius dictum tr. 2. Sed Eucharistia ut contenta sub specie panis, significat & causât diversam gratiam Sacramentalem, ab ea, quam causât Eucharistia ut contenta sub specie vini, ergo sunt Sacramenta specie diversa. Minor probatur. Nam Eucharistia ut contenta sub specie panis, habet rationem & significationem non solum nutritivam ut sic in genere, sed significationem cibi in specie. Econtra Eucharistia sub specie vini, habet rationem & significationem potûs quæ talis: atqui effectus cibi & potûs sunt formaliter diversi. Ergo &c. R. Negando antecedens. ad probationem distinguo maiorem: si significat significatione completâ, & causât gratiam completam in ea ratione in qua ex sua institutione significat, concedo, secus nego maiorem: & distingo minorem. significat diversam Gratiam significatione completâ, & causât completam in ea ratione in qua eam ex institutione sua significat, nego: significat eam incompletam & incompletè,

completè, in qualibet specie seorsim, transeat minor, & nego consequentiam. Dixi: *Transseat*. Nam de hoc ipso puncto est specialis controversia infra resolvenda.

778. Objicies 3. Ex nostra sententia sequitur, quoddam qui accipit unam speciem, non accipiat integrum Sacramentum Eucharistiae: & quod in sacrario non asseruetur integrum Sacramentum, ubi tantum asseruetur una species. R. Cum Card. de Lugo, loquendo in rigore metaphysico de Sacramento totali, posse sine inconvenienti omnes hujusmodi sequelas admitti. Ceterum in vulgari & communi modo loquendi, Corpus Christi sub speciebus panis appellandum est *Sacramentum simpliciter*. Responderi potest 2. cum S. Bonavent. *distinct. 11. a. 2. q. 2.* fideles accipere in una specie totum Sacramentum quoad efficaciam cauendi sufficientem & necessariam refectionem spiritualem, non tamen quoad significationem. Eodem planè modo respondet Suarez *disp. 39. s. 3. §. ad primum*. Respondetur tamen tertio clariùs cum eodem Suarez. in una specie accipi totum Sacramentum, intelligendo per *Sacramentum* illud, quod secundum Scholasticos & PP. est *Sacramentum & Res*, scilicet Christum, qui totus est sub quavis specie, non accipi verò totum Sacramentum, intelligendo per *Sacramentum*, id quod per eosdem dicitur *Sacramentum tantum*, ut supra explicatum est, nempe species. R. 4. Cum Card. de Lugo, eum qui sumit unam tantum speciem, dici sumere totum Sacramentum, totalitate quam acquirit per separationem moralem unius speciei ab altera, quae separatio fit per summptionem, non autem totalitate quam habet ante talem separationem, & secundum quam est terminus adequatus institutionis Christi, includens ambas species: sicut una pars aquae ante separationem & discontinuationem non est una aqua totalis, est tamen per separationem, per quam acquirit totalitatem.

Objicitur 4. Denominatio totius non potest convenire parti: sed unicuique speciei hujus Sacramenti convenit denominatio totius Sacramenti: ergo sunt duo Sacramenta specie distincta. R. 1. Distinguendo majorem: in eo sensu & acceptione *totius* in qua & secundum quam non habet rationem partis concedo, in alia acceptione totius in qua etiam habet rationem partis, nego majorem: sic, inquit Suarez, una propositio est simpliciter oratio, & tamen est etiam pars longioris orationis, adeoque nomen *Oratio* convenit tam toti, quam alicui parti ejusdem totius. R. 2. Distinguendo minorem. Unicuique speciei convenit denominatio totius ante separationem ab altera, quae fit, quando una sumitur sine altera nego: convenit post separationem, subdistinguo: convenit denominatio totius in ratione convivij plenè nego, in ratione Sacramenti causativi Gratiæ, quae sit sufficiens resectio spiritualis concedo minorem, & eodem modo distinguo consequens, ac declaro in exemplo vulgari. Si inferatur

mensa Gallus Indicus, dicitur esse unus cibus, cujus una pars est ala vel pes: si pes vel ala inferatur, & in separata patina uni apponatur secunda, dicitur illi apponi integer cibus, hoc est latius portio, non tamen cibus totus in ratione Galli Indici. Ita pariter utraque species Sacramentalis simul juncta, est unum Sacramentum, & una species ab altera separatur, potest etiam dici integrum Sacramentum, quatenus est sufficiens resectio animæ, licet non sit integrum Sacramentum in ratione formalis convivij, quod dicitur de cibus & potum.

CONTROVERSIA II

An & quomodo hoc Sacramentum multiplicetur.

779. Loquendo de speciebus ejusdem rationis, v. gr. de speciebus panis, quæri solet, & quando Sacramentum numero multiplicetur, ita ut dici possint plura Sacramenta. Resolvitur autem hæc quaestio diversimodè secundum diversas opiniones circa Rectum & Obliquum in hoc Sacramenti. Qui dicunt, solum Corpus Christi importari in Recto, consequenter docent, esse unicum numero Sacramentum, quantumvis multiplicentur hostiæ & species. Adducunt autem ipsi pro se imprimis testimonium Scripturæ, 1. ad Cor. 10. Omnes unum corpus sumus, qui de uno pane participamus. Secundò adducunt Ambrosium relatum in can. in Christo de consecrat. *distinct. 2.* ubi ait: [Una hostia, non multa, sicut enim quoddam ubique offertur, unum est corpus & non multa corpora, ita & unum Sacramentum] (id est victima.) Ad hæc tamen testimonium responderi facile potest, in illis considerari de exprimi id quod præcipuum est, & quod est *Sacramentum & Res*, ut paulò antè notavi, & in hoc sensu semper est unicum; cum hoc tamen fiat, quod in alio sensu possit dici multa.

Alij qui dicunt, præter Corpus Christi importari in Recto etiam species, faciunt, saltem inadæquatè multiplicari numero ad multiplicationem specierum, & à fortiori id ipsum docent, qui cum Vasquez putant, solas species importari in Recto. Habent autem isti AA. pro se rectum satis apertum in canone: *tribus gradibus de consecrat. dist. 2.* ubi Clemens Papa ait, tanta sollemnitas offerenda esse in altari, quot populo possint sufficere. ubi Pontifex loquitur in plurali: & miror, quod Suarez & Lugo velint hæc verba explicare, quasi Pontifex locutus esset de particulis nondum consecratis, nam oppositum constat ex sequentibus: [Quod si, inquit Pontifex, consecraverunt, cum timore & tremore Clericorum diligentia consumantur.]

780. In hac ergo sententia, quæ communior est, physice loquendo tot dici possunt Sacramenta, quot sunt species ab invicem discontinuatione. Ut autem moraliter loquendo dicantur plura Sacramenta.